



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

23. An si frater jam sit emendatus, Praelato ut Patri denunciari poßit?
Proponitur triplex sentententia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

23. Sed quid si frater jam sit emendatus, an Prælato ut Patri, adhuc crimen denunciare potest? 1. Sententia affirmat, quam tenet *Angelus Ver: denunciatio. Richard: in 4. dist: 19. art: 3. quæst: 1. in corp.* Ratio esse potest, nam talis manifestatio potest prodesse, & non obesse: prodest enim ut Prælati occasiones & pericula relabendi removeat: & ex alia parte parum vel nihil obest: cum ex notitia illius delicti ad punitionem procedere non possit. 2. sententia negat Prælato esse denunciandum. Ita *Sanch: lib: 6. Decal: cap. 18. num. 49.* & alii apud ipsum. Fundatur in verbis Christi dicentis, *si te audierit, eris lucratus fratrem tuum*, quasi dicat, ibi esse sistendum cum ad lucrum fratris correctio ordinetur. Item quia fama apud Prælatum pluris æstimatur à subditis, & ægrius ferunt, apud illum infamari, propter eius dependentiam, quam apud plures socios. Ergò ob solam maiorem securitatem licita esse non potest talis infamatio, nemini enim licet bona temporalia proximo auferre eo fine, ut securior sit in virtute, aliàs liceret eum privare divitiis, & pauperibus

ribus dare, ut pro eo oretur. 3. sententia approbat primam in casu cessionis juris: illo excluso, approbat secundam. Ita *Valentia. disp: 3. quest. 10. part: 5. pag. 687. §. respondeo per distinctionem.* Probat primam partem, quia in primo casu cum delinquens emendatus, ipse possit delictum suum Prælato laudabiliter aperire: cur non etiam alius id ipsum poterit de eius consensu? Probat secundam partem, quia excluso jure cessionis possessor est suæ famæ, qua ut dictum ob solam securitatem majorem privari non debet.

24. Verùm nobis probabilius videtur, si certò tibi constat proximum emendatum esse, neq; periculum probabile subesse relabendi, nullo modo posse te cuiusquam delictum deferre ad superiorem, ut securior sit, nisi ipse expressè in talem sui manifestationem consentiat. Neq; consensus in aliqua religione præstitus ad hunc casum extendendus videtur (uti supponit, non autem probat *Valentia*: pro tertia sententia citatus) quia ut benè *Sanchi*: supra pro secunda sententia finis præcipuus, ob quem mandantur delicta præla-